

## ACTVS IV

i

DEMIPHO CHREMES

*DE.* Quid? qua profectu' causa hinc es Lemnum, Chreme,  
adduxtin tecum filiam? *CH.* non. *DE.* quid ita non?

*CH.* postquam videt me ei(u)s mater esse hic diutius,  
simul autem non manebat aetas virginis

570

5 mēam neglegentiam: ipsam cum omni familia  
ad me profectam esse aibant. *DE.* quid illi tam diu  
quaeso igitur commorabare, ubi id audiveras?

*CH.* pol me detinuit morbus. *DE.* unde? aut qui? *CH.*  
rogas?

senectus ipsast morbu'. sed venisse eas

575

10 salvas audivi ex nauta qui illas vexerat.

*DE.* quid gnato optigerit mē absente audistin, Chreme?

*CH.* quod quidēm me factum consili incertum facit.

nām hānc condicionem siquoi tulero extrario,

quo pacto aut unde mihi sit dicundum ordinest.

580

15 te mihi fidelem esse aeque atque egomet sum mihi  
scibam. ille, si me alienus adfinem volet,

tacebit dum intercedet familiaritas;

sin spreverit me, plus quam opus est scito sciet.

vereorque ne uxor aliqua hoc resciscat mea:

585

20 quod si fit, ut me excutiam atque egrediar domo  
id restat; nam ego meorum solu' sum meus.

*DE.* scio ita esse, et istaec mihi res sollicitudinist,

neque defetiscar usque adeo experirier

donec tibi id quod pollicitus sum effecero.

590